



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE
MOTU PROPRIO DATAE

AD SUBURBICARIAS DIOECESSES

IUS OPTIONIS IN
DIOECESIBUS SUBURBICARIIS ABROGATUR

Ad Suburbicarias Dioeceses, quas utpote artis quibusdam necessitudinibus cum Romana Dioecesi coniunctas, Decessores Nostri peculiari semper sollicitudine prosecuti sunt, iam ab inito Summo Pontificatu Nos ipsi curas cogitationesque convertimus. Cum enim ob mutatas in territorii illis rerum condiciones, ob auctumque valde incolarum numerum, ibidem loci facta sit postremis hisce annis difficilior Pastoralium munerum exercitatio, visum est Nobis omnino expedire, ut auctis animorum necessitatibus magis idonea ratione novisque editis normis prospiceretur.

Qua de re, antequam in negotio tam gravis momenti quidquam decerneremus, placuit sane Nobis omnes S. R. E. Cardinales, qui in Romana Curia sunt, rogare sententiam. Qui quidem, re diligenter considerata, varia Nobis attulerunt consilia, sed fere omnes in hoc consenserunt, oportere nimirum ius optionis, quod vocant. abrogare, can. 236 § 3 Codicis Iuris Canonici statutum.

Hac igitur communi sententia utentes, normarumque facientes initium, quas in utilitatem Dioecesium Suburbicariarum laturos sumus, motu proprio ac Nostra Apostolica auctoritate abrogatum declaramus praescriptum eiusdem can. 236 § 3, quo ius optionis sancitur; atque nominationem Cardinalium Episcoporum ad Suburbicarias Sedes unice ad Nos et ad Successores Nostros libere pertinere volumus.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata

esse iubemus. contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die X mensis Martii, anno MDCCCCLXI, Pontificatus Nostri tertio.

IOANNES PP. XXIII

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana